

demenfum fuum, ac fi quid præterea pecuniolæ a ditionibus emendicando corrogaffet, inter egentiffimos militum partiebatur, fe ipfum fraudans diurno victu, ut aliis benigne faceret. Avenionem concefferat [iii] denique, ut attritas tot laboribus vires paucorum dierum otio reficeret. Verum quafi divinans, inftare fibi omnium laborum & vitæ finem, totum illud tempus impendit excolendo piis commentationibus animo inter tirones, feque ad primam tirocinii formam fenex emeritus ita compofuit, ut nullam omitteret earum exercitationum, quibus ad fui mundique contemptum erudiri folent novitii. His intentum, nihilque jam præter cæleftia cogitantem mors oppreffit, xv. Cal. Decembris.”

Adhæc non inutile forfan videbitur adjicere quæ ab auctore antiquiore Philippo fcilicet Alegambe fcripta funt in Catalogo Scriptorum Societatis Jefu, fub verbo Biard:

“PETRUS BIARDUS natione Gallus, patriâ Gratianopolitanus, operarius magni zeli, atque adè multarum palmarum, quas [iv] in horridis et inuiis Canadenfium Septentrionalis Americæ populorum filuis primus legit. Extrema ibi omnia paffus, nihil tamen inhumanum magis, quàm Hæreticos, expertus eft. Feritatis oblita gens barbara integerrimi hominis innocentiam venerari difcebat; cùm ecce tibi fanctitatis inimica, Deumque nefciens Hærifis, cum Anglis Canadæ oras irrupit; difficillimæ expeditionis ingens pretium fuit, exofum inde abducere Jefuitam. Ha-